Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 2335

Quelle:
Copyright:



*Atque ferocis pelle leonis gaudet aſellus*
*Cum meliorem ſumit honorem quis patharellus*
*Vt phariſei ſunt pathareni ſemper vbique*
*Quos toga uelat que mala celat gentis inique*
*Vt nec amandi nec tolerandi ſunt phariſei*
*Sic reprobandi non imitandi ſunt patharei*
*Namque bonorum ſiue malorum cognitor odit*
*Quos ſceleroſos iure peroſos actio prodit*
*Quos notat index ultio uindex tempore finis*
*Quando paratur quando minatur mors patarinis.*

Haereo, an *Bernardo Morlanenſi* tribuam. Subjecit Librarius:

*Explicit iſte liber ſit ſcriptor crimine liber.*

Ad calcem Codicis compactae ſunt Membranulae duae, quarum priore teſtatur *Petrus Inbel de Lichternach* Presbyter ſe a *Chilmano de Wickebe* Abbate et Conventu in *Himmerode*, Ord. S. *Bernardi* eorumque Proviſore *Petro de Wickebe* accepiſſe debitos ſibi XV. Rhenenſes *anno Domini M. CCCC° XII. Dominica qua cantatur letare Iheruſalem.* Altera *Scabini* Oppidi in *Bydeberg Henricus miles prepoſitus*, *Herwardus dictus Waller iuſticiarius*, *Johannes de Fore*, *Nicolaus dictus Voit*, et *Johannes dictus de Milmbach et Dilkinns* promittunt *Henrico* ſeniori filio *Henzekini iuxta portam Conſcabini* ſui Coenobium *Himmerodenſe* ingreſſuro poſt Patris mortem legitimam Bonorum portionem. *Datum Anno Domini M°. CCC°. Viceſimo quarto feria quarta poſt Dominicam qua cantatur*, *Cantate Domino.*

## DCXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 286
XV. Folior. 157. f. Opuſcula a diverſis ſcripta continet, ut ſequuntur: I. *Nigelli* (non *Vigelli*, ut in quibusdam editis) *Wereker*, *Wireker* ſ. *Wirecher Cantuarienſis*, Monachi et Eccl. *Cantuar.* Praecentoris, qui circa an. 1200. claruit, *Brunellum* ſ. *Burnellum*, vel *Speculum Stultorum* carmine elegiaco ab ipſo non fine ingenio et ſalibus ſcriptum, ſed hic *proſa* redditum, quod certe rarum, ut ex *Oudini*, *Fabricii*, *Tanneri* et aliorum, qui de Autore ejusque Speculo *metrico* agunt, ſilentio planum fit. Praefationis inſcriptio miniata eſt: *Incipit prologus in ſpeculum ſtultorum.* Duplex eſt in editis, ut docet Exemplar *Colonienſe* anni 1499. 4. mihi objacens, Prooemium, oratione proſa unum directum ad *Guilhelmum* poſtea *Elienſem* Epiſcopum, quod